mus aliquid ſic eſt in ſomnijs: preter fantaſmata alia aliquando intelligimus. Uidebitur aūt alicui hoc ſi quis adhibeat mētem et tentat memorare ſurgens. Jam vero quidam viderūt ſomnia huiuſmodi velut qui vidētur ſecundum memoratiuum preceptū ponere que ꝓponūtur. Accidit ei eis aliud qđ ꝑter ſomniū ponere ante oculos in loco fantaſma. Quare manifeſtū qm̄ neꝫ ſomniū omne qđ in ſomnijs fātaſma et qm̄ intelligimus que opinione opinabamur

¶ Jſtud eſt ſcđm capl'm huius libri in quo phs determinat de ſomnio qđ eſt quedā paſſio ꝯtingēs i ſomno. Et diuiditur in duas ꝑtes principales. Jn prima oſtendit cuius ſomnium ſit paſſio Jn ſecūda inueſtigat quid ſit ſomniū. ibi. Quid aūt eſt ſomniū Circa primū duo facit quia primo proponit ſuam intentōem. Secūdo exequit ordinem procedendi. ibi Si itaꝫ. Dicit ergo primo ꝙ poſt hoc querendū eſt ⁊ determinandū eſt de ſomnio et primo cui ꝑti aīe hec paſſio que ē ſomniū videatur ineē Et ꝯſiderādū eſt etiā. vtrū hec paſſio ſit paſſio ꝑticule intellectiue aut ſenſitiue. qꝛ ſomniū ē apparitio quedā et ꝯgnitio. ſicut poſtea dicetur. ſed ſolū his duobꝫ ſcꝫ ſenſu et intellectu cognoſcimus aliquid. ergo erit neceſſarium ꝙ ſomniū ſit paſſio alterius iſtorum Tunc ibi. Si itaꝫ. Exequitur ꝓpoſitum et primo oſtendit ꝙ ſomniū nō ſit paſſio ſenſus et intēdit talē rōem. Somniū nō eſt paſſio eius qđ in ſomno nihil ꝯprehendit. Nā ſomniuꝫ eſt cognitio quedā. eſt eīm apparitio phātaſtica in ſimpliciter dormiente. vt poſtea dicetur. ſed ſenſus in ſomno nihil ꝑcipiunt. qꝛ ſunt ligati. igit ⁊c. Dicit ḡ ꝙ ſi actus viſus ſit viſio et actus auditus audire ⁊ oīno actus ſenſus ſit ſentire ſiue ſenſibilia cōia ſiue propria ⁊ oīa aīalia ſunt in potentia claudentia oculos qn̄ dormiūt. ⁊ ſilr eſt in reliquis ſenſitiuis ſcꝫ ꝙ oīa ſint in potentia ſentire dū dormiunt. ḡ manifeſtum eſt ꝙ in ſomno nihil ſentimus. qꝛ tūc ſenſus nihil cōprehendūt. et per ꝯſequens ſomniū non eſt paſſio ſenſus. Tūc ibi At uero neꝫ Oſtendit ꝙ ſomniū nō eſt paſſio opinionis ſiue intellectus tali ratōe. qꝛ ſomniū nō eſt paſſio illius qđ nō ꝯgnoſcit oīa q̄ in ſomno cōprehendunt ſed in ſomnio ꝯgnoſcimus aliqua ſenſibilia quorū non eſt opinio neꝫ vera neꝫ falſa ſine ſenſu. qꝛ in ſomnio ꝯgnoſcimus aduenie̅s non ſolum eſſe hoīem vel equū ſed etiā albū vel pulchꝝ qđ aduenie̅s videmur videre. ergo ſomniū nō eſt paſſio opinionis. Tūc ibi Amplius preter. Reſpondet ad rōem ꝑ quā alicui videret ꝙ ſomniū eſſet paſſio intellectus. poſſet eīm aliqs ſic arguere. Somniū eſt paſſio eiꝰ quo in ſomno aliquid intelligimus vere aut ꝯponimus aliquid aut vlē ꝯprehendimus. ſꝫ iſta ꝑtinent ad intellectum. ḡ ſomniū erit paſſio intellectus Dicit phs ꝙ illud qđ amplius preter ſomniū in ſomno intelligimus nō eſt ſomniū qꝛ ſicut in ſenſibus qn̄ꝫ aliquid aliud intelligimus ab his que ſentimus. ita ſilr in ſomnio aliqđ aliud ꝯprehendimus preter phantaſmata et apparitionē phātaſticam et illa non ſunt ſomnia. qꝛ ſomniū eſt apphēſio phantaſmatis ſed illa ſunt vera intelligentia. Et iſtud manifeſte videtur alicui ſi adhibeat mentē circa ſomnuꝫ et ſurgens temptet memorari de ſomnio tūc ei occurrit ei q̄ dicta ſt ſcꝫ ꝙ aliqđ ꝑcipiat qđ nō ſit ſomniū Et ſic manifeſtū eſt ꝙ non oīe phantaſma. id eſt oīs apparitio que eſt in ſomnis eſt ſomnium Etiam manifeſtū eſt ꝙ in ſomno aliquid intelligimus ⁊ ad certitudinem illorum attingimus que ſolum opinabamur ante ſomnium vnde dicit Cōmentator de quodam qui ſomniauit vnū ſomniū et neſciuit eius expoſitionem et inde verā expoſitionem eius ſomniauit.

Queritur. Utrum ſomniū ſit paſſio intellectꝰ. Dōm ꝙ non. ꝓbat dupliciter. ꝑmo qꝛ ſomniū non eſt paſſio illius cuius ſm ſe non eſt cognoſcere ſingulare. ſꝫ intellectus ſm ſe nō eſt ꝯgnoſcere ſingulare. igit ⁊c. Maior ꝓbat qꝛ ſomnium eſt apparitio phantaſmatis. ſed phantaſma eſt aliquid ſingulare. Scđo ꝓbatur. qꝛ ſomniū eſt paſſio illius cuius ſomnꝰ eſt paſſio. ſꝫ ſomnꝰ nō eſt paſſio intellectus. igit. Minor ꝓbat qꝛ intellectꝰ nō neceſſario ligat in ſomno cū in ſomno multa intelligamꝰ ꝑ actum phantaſie. qđ non poſſet eſſe ſi eſſet in ſomno imobilitatus Eſt tn̄ verū ꝙ intellectus qn̄ꝫ ꝑ accidēs ligat et magis ꝑ accidēs q̄ phātaſia qꝛ phātaſia eſt virtꝰ organica nō aūt intellectus. Unde qn̄ euaporatio multa et corpulenta aſcendit ad cerebꝛuꝫ tunc ligant ſenſus exteriores et virtus phantaſtica ſiue imaginatiua et ſic ꝑ accidens ligatur ipe intellectus q̄ in ſua operatione dependet ab illa. ſꝫ tn̄ in fine digeſtionis ꝯtingit phantaſiam ſolui ſenſibꝫ exterioribꝫ adhuc ligatis ⁊ tūc intellectus p̄t ire in actum.

Ar. Somnium eſt paſſio eius cui cōuenit cōponere et diuidere. quia iſta ꝯtingunt in ſomnio ſed illud eſt ipſius intellectus facere. igit ⁊c. Et ꝯfirmatur. qꝛ ſomniū eſt illius paſſio cui ꝯuenit cognoſcere vniuerſale. qꝛ tale in ſomnio ꝯphendimus. ſꝫ hoc facit intellectus. igit ⁊c. Dōm ad ambo ſil' ꝙ licꝫ iſta oīa in ſomnio fiant. hoc tamen non eſt ſomniū ſed vera intelligentia. vt patet ex dictis. Eſt tn̄ conſiderandū ꝙ ꝯpoſitio intentionū vlium ꝑtinet ad intellectū ſed compoſitio intentionū ſingularium ꝑtinet ad ſenſum cōem ſicut collatio intentionū ꝑtinet ad cogitationem

Arguit Dicitur primo poſteriorū ꝙ deficiente ſenſu neceſſe eſt deficere ſciam ⁊ cognitionem intellectiuam ſm illum ſenſum ſed in ſomno deficiunt omnes ſenſus et ſunt impotentes. ergo oportꝫ ꝯgnitionem intellectiuam deficere et per ꝯſequēs intellectus ſemꝑ ligatur in ſomno. Dōm ꝙ deficiente aliquo ſenſu a natiuitate vel ita ꝙ nunq̄ eius habuit vſum neceſſe eſt deficere ſcientiam ſm illum ſenſum ſic autem non deficiunt ſenſus in ſomno. vt patet ex dictis ſed quare intellectus poſſet exire in actum non obſtante illa impotentia ſenſuum exteriorū ſuperius eſt dictum

Ar. Quando aliqua ſe habent ſm ordinem prioris et poſterioris tūc ligato priori neceſſe eſt ligari poſterius. ſed ſenſus ſe habent ad intellectum ſicut prius et poſterius. ergo ligatis ſenſibus oportet intellectum ligari. Dōm ꝙ ſenſus exteriores comparantur ad itellectum ſicut prius ad poſterius quo ad primam acceptionem ſpecierum ſenſibilium et ergo ligato ſenſu a natiuitate non poteſt intellectus intelligere ſed poſt primam acceptionē ſpērum ſenſibilium quando ſpecies ſunt reſeruate a ſenſibꝫ interioribꝫ hoc nō oportet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

¶ Palam aūt de his vniuerſis intantū quoniam eodem quo vigilātes in egritudinib⁹ decipimur. hoc idem in ſomno facit paſſionem ⁊ ſanis vero ⁊ ſcientib⁹ cum bipedalis ſol eſſe videtur. ſed ſiue idem ſiue diuerſum phantaſticū anime ⁊ ſenſitiuū nihilominus nō fit abſq⸫ videre ⁊ ſentire aliquid p̄ter videre. ſentire em̄ et p̄ter audire vidētis verum aliquid ⁊ audiētis. Nequaq⸫ tn̄ id qđ arbitramur. In ſomnio aūt poſituʒ eſt nihil videre atq⸫ audire. neq⸫ omnino ſentire. ergo nō videtur verum: nihil autē pati ſenſum nō eſt verum. ſed cōtingit ⁊ viſum pati aliquid et alios ſenſus. ſingulum aūt horū et queadmodum vigilādi adiacet quidē quodāmodo. Non ſic autem et vigilāti et quādoq⸫ idem opinio dicit. quoniā falſum queadmodū vigilās quādoq⸫ vero detinetur et ſequit̄ phantaſma. Q̄ꝺdem igitur nō eſt opinantis neq⸫ intelligētis paſſio hoc qđ vocamus ſomniare manifeſtū. ſed neq⸫ ſentiētis ſimpliciter videre em̄ vtiq⸫ ⁊ audire ſimpliciter.

¶ Hic ꝯſequēter oſtendit ꝙ ſomniū nō ſit ſine ſenſu. ⁊ arguit ſic In ſomnio multa falſa apparēt. ⁊ plures in ſomnio decipiuntur. q⸫ in ſomnio accipimus apparitōes phantaſticas ſicut veras. ſenſus em̄ cōmunis in ſomnio nō immutatur a re. ſed a ſpecie illius rei exiſtente in phantaſia et tamen accipit illam immutationem ac ſi eſſet facta a re ipſa. ſed illa deceptio nō fit ſine ſenſu. ergo ſomniū non eſt ſine ſenſu. Minor probatur. q⸫ illo eodem quo vigilantes ⁊ exiſtentes in egritudinib⁹ decipiūtur. illud ideʒ facit paſſionem. id eſt deceptio in ſomnio. ſed in vigilantib⁹ fit illa deceptio per ſenſum. q⸫ licet ſanis ⁊ ſcientib⁹ ſol ſit maior tota habitatōe. tamen videbit̄ ad ſenſum bipedalis figure. ⁊ ergo oportʒ ꝙ ſit aliquis ſenſus dignior illo quo ſol dicit̄ eſſe bipedalis. Addit tamen ph̄us ꝙ ſiue ſit ideʒ ſenſitiuū anime ⁊ phātaſticū ſiue nō. nihilomin⁹ tamē q⸫ nihil comp̄hendītur abſq⸫ videre ⁊ ſentire. licet p̄ter videre videntis ⁊ audire audientis ſit aliquod veruʒ in re. hoc tamen nō eſt id qđ de re arbitratur per ſenſuʒ deceptum

¶ Tunc ibi (In ſomnio aūt) Oſtendit ꝙ ſomniū non eſt ſine intellectu ⁊ ſenſu coniūctum. Et intendit taleʒ rōnem. ſomniū nō eſt ſine his que aliquid in ſomno cognoſcūt. cum ſomniū ſit quedaʒ operatio in ſomno. ſed ſenſus et intellectus aliquid cognoſcūt. ergo ſine his non eſt ſomniū. Minorem probat inductiue. p̄mo de ſenſu. q⸫ ſenſus particularis aliquid patitur ⁊ cognoſcit in ſomnio. non quidem in ſenſibilib⁹ exteriorib⁹. ſed incōtum refertur ad ſenſum cōmunem. qui quidem ſenſus communis in ſomnio aliquid patitur per reſpectum quem habet ad phantaſiam. quia huic ſenſui adiacēt ſenſus exteriores quodāmodo. licʒ nō ſicut vigilāti. ⁊ ergo ſenſus ꝯmunis in dormiente patitur in phantaſia. que in ſomno poteſt eē in actu. et poteſt per ſubtilem euaporatōnem ſpecies phantaſticas facere in ſenſum cōmunem. ⁊ tūc aliquid patitur et cognoſcit. ⁊ pro tanto etiam ſenſus particulares dicuntur aliquid pati ⁊ cognoſcere reſpectu ſenſus cōmunis. Secūdo probat minorem de opinione. quia opinio aliquid apprehendit in ſomnio. quia dicit quandoq⸫ ꝙ falſum eſt illud quod ſibi apparet per phantaſiam. ⁊ hoc non eſſet niſi opinio in ſomnio apprehendatur ¶ Tūc ibi. (Q⸫ quidem igitur) Epilogat. vt pʒ clare in littera.

¶ Sed qualiter oportʒ ⁊ ſm̄ quem modum conſiderādum. ponatur ergo ⁊ quod manifeſtū eſt ꝙ ⁊ ſenſitiui paſſio ſiq̄deʒ ⁊ ſomnus. nō em̄ alicui animalium ineſt ſomnus. aliq̄ vero alicui ſomniare. ſed eidem. Quoniaʒ vero de phantaſia in his que de anima dictum eſt. ⁊ eſt quidem idem ſenſitiuo. phantaſticum eſſe autem ſenſitiuo ⁊ phantaſtico. alterum eſt autē phantaſia quia a ſenſu ſm̄ actum fit motus. ſomniū vero phantaſma quoddam videtur eſſe. nam qđ in ſomno phantaſma ſomniuʒ dicim⁹ ſiue ſimpliciter ſiue quodāmodo factum. manifeſtum ꝙ ſenſitiui quideʒ eſt ſomniare. hui⁹ aūt ſm̄ ꝙ phantaſticum.

¶ Hic ꝯſequenter oſtēdit ꝙ ſomniū ſit paſſio ſenſus cōmunis. Et intendit talem ratōem. ſomniū eſt paſſio illius cuius ſomnus eſt paſſio. quia iſta inſunt eidem ita ꝙ cuicūq⸫ ineſt ſomniū eidem ineſt ſomnus. ſed ſomnus eſt paſſio primi ſenſitiui. vt patʒ ex dictis. quare ⁊ ſomnium Subdit tamen ph̄us ꝙ ſomniū eſt ſenſus cōmunis ſm̄ ꝙ eſt phantaſticus. id eſt ſm̄ ꝙ habet comparationem ad phantaſiam. quia phantaſia non eſt ſemper ligata in ſomno. ſed poteſt eſſe in actu per ſpeciem in ipſam exiſtentem et tūc ꝯtingit ꝙ huiuſmodi ſpecies per quādam ſubtilem euaporatōem defertur ad ſenſum ꝯmunem ⁊ quē immutat. ⁊ iſta immutatio ſiue apparitio dicit̄ ſomniū. Et ad hoc declarandum dicit ph̄us ꝙ dictum eſt in libro de anima de phātaſia. ⁊ ibi etiam dictum eſt quomodo ſenſitiuo eſt idem phantaſticum. quia phantaſia eſt motus factus a ſenſu ſm̄ actum. ⁊ in hoc eſt indifferentia phantaſtici ⁊ ſenſitiui. ſed ſomniuʒ eſt quoddā phantaſma. id eſt apparitio quedam. non tamen eſt phantaſma ſimpliciter q⸫ non fit in ſenſu ꝯmuni ab exteriori. ſʒ eſt fantaſma quodāmodo. quia fit in ſenſu cōmuni per reſpectum ad phantaſiam. Eſt ergo manifeſtum ꝙ p̄mi ſenſitiui eſt ſomniare. ita ꝙ ſomniū eſt paſſio p̄mi ſenſitiui. nō quidem abſolute. ſed ſm̄ ꝙ eſt phantaſticum. hoc eſt per reſpectum queʒ habet ad phantaſiam ⁊ ſm̄ ꝙ natū eſt imutari ab ipſa

Queritur Vtruʒ ſomniū ſit paſſio p̄mi ſenſitiui. ¶ Dicendū ꝙ ſomniuʒ eſt paſſio p̄mi ſenſitiui. id eſt ſenſus ꝯmunis ſm̄ ꝙ eſt phātaſticus. Prima pars probatur dupliciter. Primo q⸫ eiuſdem partis ſunt ſomniū ⁊ ſomnus. eo ꝙ ſomniū nō eſt ſine ſomno. ſed ſomnus eſt paſſio p̄mi ſenſitiui. ergo ⁊ ſomniū. Secūdo probatur. quia ſomniū eſt cognitio ſenſitiua quia per ſomniū cognoſcimus hic ⁊ nūc. que ſunt ꝯditiones cognitionis ſenſitiue. ergo ſequitur ꝙ ſit paſſio potentie ſenſitiue. ⁊ non exterioris. ergo interioris. Secūda pars ſic oſtenditur. q⸫ ſenſus ꝯmunis eſt fons totius ſenſualitatis ita ꝙ ab eo procedit vnus meatus ad ſenſus exteriores. et alius verſus ſenſus interiores. ſed ſomniū nō eſt paſſio p̄mi ſenſitiui ſm̄ ꝙ habet reſpectum ad ſenſus exte

Somniū eſt paſſio ſenſ⁹ cōis

riores. qꝛ ſm illam habitudinem ſenſus ꝯmunis eſt ligatus in ſomno ⁊ obſtructus euaporationibꝫ nutrimenti. ergo oportꝫ ꝙ ſomniũ ſit paſſio primi ſenſitiui in ordine ſiue in habitudine ad ſenſus interiores qui ꝯmuni nomine phantaſia dicũtur. qꝛ definitio phantaſie etiã videt̃ alijs ſenſibꝫ interioribꝫ ꝯuenire. vt pꝫ ſecũdo de aĩa.

Ar. Somniũ eſt apparitio phantaſtica facta in ſomno. ſed in ſomno ſenſus ꝯmunis eſt ligatꝰ. ergo ſomniũ nõ eſt paſſio ꝑmi ſenſitiui ¶ Dicendum ꝙ in ſomno ſenſus ꝯmunis ſemꝑ eſt ligatus ſm reſpectuꝫ ad ſenſus exteriores. ſed non eſt ſemper ligatus ſm reſpectũ ad phantaſiaꝫ. ⁊ illo modo ꝯtingit ſomniũ ſcꝫ per deriuationem ⁊ redũdantiam phantaſmatũ reſeruatoꝝ in phãtaſia in ſenſum cõmunem ipſum actuando. ſicut in ſimili flamma candele ſuperioris deſcendit ad illuminandũ candelam inferiorem extinctam.

Ar. Somniuꝫ eſt illius paſſio cuius eſt videre ⁊ audire. qꝛ illa percipiũtur in ſomnio. ſed ſenſus cõmunis non eſt videre vel audire ligatis ſenſibꝫ exterioribꝫ ergo videtur ꝙ ſomniũ non ſit eius paſſio ¶ Dicẽduꝫ ꝙ licet in ſomno ſenſus ꝯmunis nõ dicatur videre vel audire per reſpectũ ad ſenſus exteriores. tamẽ aliquo modo ꝑcipit viſibilia ⁊ audibilia ſm ꝯparatõem ad phantaſiaꝫ et ſic reperiũtur in ſomnio

¶ Quid autem eſt ſomniũ ⁊ quomodo fit ex his que circa ſomniũ accidũt maxime vtiqꝫ ſpeculabimur Senſibilia enĩ ſm ſingulũ ſenſitiuũ nobis efficiũt ſenſum. ⁊ que fit ab eis paſſio nõ ſolum ineſt ſenſitiuis dum ſenſum agũt. ſed ⁊ dum abeũt Simul enĩ paſſio in his ⁊ in his que ferũtur videtur eẽ. Etenĩ in latis eo ꝙ mouit nõ vlterius ꝯtingente mouẽtur. nam qꝺ motũ fecit mouit aerem quẽdam ⁊ rurſus hꝯ motus alium. ⁊ hoc itaqꝫ modo quouſqꝫ q̃deꝫ ſtet facit motũ ⁊ in aere. ⁊ in humidis. Similiter autẽ oportꝫ opinari hoc ⁊ in alteratiõe. nam qꝺ calefactũ eſt ⁊ calido proximũ calefacit. et hꝯ diſtribuit vſqꝫ ad ꝑncipium. quare ⁊ in quo eſt ſentire. quoniã eſt alteratio quedam ⁊ ſm actũ ſenſus neceſſe eſt hoc accidere. ideo paſſio non eſt ſolum ſentientibꝫ in ſenſitiuis. ſed quieſcẽtibus ⁊ in profundo ⁊ ſuperficietenus. Palam autem cum ꝯtinue ſentiamus aliquid trãſferentibꝫ enĩ ſm ſenſum ſequitur paſſio. velut de ſole ad tenebras. accidit enĩ nihil videre ꝓpter adhuc ſubſiſtentem motum in oculis a lumine. et ſi ad vnũ colorem multo tempore aſpiciamus aut album vel viridem eiuſdem modi videtur ad quodcũqꝫ viſum permutemus. ⁊ ſi ad ſolem proſpicientes vel aliquod ſplendiduꝫ ꝯcluſerimus obſeruantibꝫ quidem videtur ſm directõem qua accidit viſum videre ꝑmum q̃dem huiuſmodi colorem donec ꝑmutetur in puniceuꝫ. deinde in purpureũ quouſqꝫ in nigꝝ veniat colorem ⁊ euaneſcat. Et ab his que mouentur aut permutãtur velut a fluminibꝫ. maxime aũt ab his que citiſſime fluũt. videnť enĩ quieſcentia moueri. fiunt autẽ ⁊ a magnis ſonis obſurdeſcentes. fiunt aũt ⁊ a validis odoribꝫ difficile odorantes ſimilia. hec itaqꝫ manifeſte accidũt hoc modo

¶ Iſta eſt ſecũda pars huius capituli ſecũdi. in q̃ phs inueſtigat quid ſit ſomniũ. Et ꝑmo proponit ſuam intentionem. Secũdo exequitur eam. ibi (Senſibilia enĩ) Dicens primo. ꝙ ꝯſiderato cuius ſomnium ſit paſſio. conſequenter ꝯſiderandum eſt quid ſit ſomniũ. quid auteꝫ ſit ſomniũ. ⁊ q̃uo fiat maxime ſpeculabimur ⁊ ſpeculari poterimus ex his que accidũt circa ſomniũ. quia accidentia magnam partem conferũt ad cognoſcendum ꝙ quid eſt

¶ Tũc ibi. (Senſibilia enĩ) Exequitur ꝓpoſitum. ⁊ ꝑmo ꝑmittit quedam neceſſaria ad ſciendum quid ſit ſomnium. ⁊ ſunt duo. Primũ eſt ꝙ ſpecies ſenſibilium manẽt in ſenſibꝫ in abſentia ſenſibiliũ. ſm ꝙ ſenſus faciliter decipiũtur circa ſenſibilia. ⁊ tangitur ibi. (Adhuc autẽ facile) Circa ꝑmũ duo facit. qꝛ ꝑmo oñdit ꝙ dcĩ ẽ. Scꝺo manifeſtat ꝙ ſenſus etiã agũt in corꝑa. ibi (Qꝫ ãt ſenſitiua) Dicit ergo ꝑmo. ꝙ ipſa ſenſibilia ſm ſingulum ſenſitiuũ in nobis efficiũt ſenſum in actu ⁊ paſſio que fit ab ipſis ſenſibilibꝫ in ipſo ſenſu nõ ſolum eſt in ipſis ſenſitiuis dũ ipſa ſenſibilia agũt in ſenſus. id eſt faciũt ſenſum eſſe in actu. ſꝫ etiam dum ipſa ſenſibilia abeũt. id eſt cum nõ ſunt preſentia. ita ꝙ ſpecies ſenſibilium manent in ſenſibꝫ in abſentia ſenſibilium ¶ Tunc ibi (Simul enĩ) Declarat qꝺ dictum eſt ꝑmo per ſimile in his que ferũtur. id eſt in ꝓiectis. qꝛ ſicut in illis ceſſante ꝑmo impellente adhuc manet virtus eius. ⁊ ꝯtinuatur motus ꝓiectõis in ꝓiectis. quouſqꝫ ſtet virtus primi mouentis. etiam abſente ꝑmo mouente. Similiter etiã alterantur aliqua ceſſante ꝑmo alterante. ſicut patꝫ de calefactione. ita ſiliter ꝯtingit in ipſo ſentire. ſcꝫ ꝙ paſſio maneat in ſenſu abeũte ſenſibili cauſante hmõi paſſionem ⁊ ſpẽm. Et iſtud eſt neceſſariũ accidere in ſenſu ſicut in alteratõe. qꝛ ſenſus ſm actum eſt q̃dam alteratio nõ que fit ꝑ abiectõem ꝯtrarij. ⁊ ideo manifeſtũ eſt ꝙ ſpẽs ſenſibilis nõ ſolum eſt in ſentientibꝫ ſenſitiuis in abſentia ſenſibiliũ ⁊ in ꝓfundo. id eſt in ſenſibꝰ interioribꝫ. ſcꝫ in phantaſia. ſed etiam ſupficietenus. id eſt in ſenſibꝫ exterioribꝫ ¶ Tũc ibi (Palã aũt) Declarat idem ꝑ q̃nqꝫ ſigna. Primũ qꝛ cũ aliquis inſpexit excellens ſenſibile. puta ſolem vel aliq̃d valde frigidũ. ⁊ tũc conuertat ſe ad tenebras. tũc accidit nihil videre. qꝛ adhuc manet ſpẽs in oculo ꝓpter motum factũ a lumine. ¶ Secundũ ſignũ. qꝛ ſi aliquis multo tꝑe inſpiciat aliquem coloreꝫ tũc eiuſdem coloris videť quocũqꝫ ꝑmutemus viſum ¶ Terciũ ſignũ. qꝛ ſi aſpiciamus ad ſoleꝫ vel ad aliquod valde fulgiduꝫ ⁊ tũc claudemus oculos. tũc apparebit ꝙ adhuc videamus lumen donec ꝑmutetur in puniceũ vel ſubrubeum. deinde in purpureũ vſqꝫquo venerit ad nigꝝ et tũc euaneſcit. ergo ⁊c. ¶ Quartũ ſignũ. qꝛ ſi oculi permutenť ab his que velociter mouenť ⁊ inſpiciant quieſcentia tũc videbũtur illa moueri. ⁊ hoc non eſſet niſi ſpẽs ſenſibilis maneret in ſenſu abeũte ſenſibili ¶ Quintũ ſignum qꝛ hoĩes fiũt obſurdeſcentes nõ quaſi organũ auditus ſit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

corruptũ.ſed etiaȝ dato ꝙ ſit ſanũ.cũ poſt magnos ſonos in longo tpe nõ pñt audire. Siliter etiã hoies ſiũt defectiue odorantes poſt odoratõem fortiũ odoruȝ.⁊ oĩa iſta ꝯtingũt ꝑpter cãm dictam.ſcilȝ ꝙ ſpẽs ſenſibiles maneãt abeũtibꝫ ſenſibilibꝫ

Queritur Utrũ ſpẽs ſenſibiliũ maneãt in ſenſibus abeuntibꝫ ſenſibilibꝫ

¶ Dicendũ ꝙ ſic.ſicut ſufficienter ſuperius ꝓbatuȝ eſt ꝑ aliqua ſimilia ⁊ ſigna. Eſt tñ ꝯſiderandũ ꝙ ſpẽs ſenſibilis parum manet in ſenſu in abſentia ſenſibiliũ.q2 cuius ẽ faciliter aliquid recipere eiuſdẽ eſt faciliter illud amittere.et parum retinere.ſed ſpẽs ſenſibilis cito fit in ſenſibꝫ.ĝ ꝑ naturã ꝓpriã parũ pt ibi manere

Ar. Sȝm phm poſtea in textu.ita ſe hȝ viſus ſiue ſenſus vĺiter ad ſenſibilia.ſicut ſe hȝ ſpeculũ ad corpora obiecta.ſed recedente corꝑe obiecto ſpeculo nõ ineſt ſpẽs corporis obiecti.ergo ⁊c. ¶ Dõm ꝙ ſimile eſt de viſu ⁊ ſpeculo q̃tum ad hoc ꝙ vtrũqȝ faciliter recipit ſpecies corporis obiecti.ſȝ tñ eſt diſſimile in alio.q2 viſus habet vim cognoſcitiuã ⁊ nõ ſpeculum. ¶ Et qñ dr organũ viſus eſt aqueũ a dominio.ergo videtur ꝙ ſibi nõ poſſit ꝯpetere reſeruare ſpẽm viſibilem in abſentia viſibilis Dõm ꝙ illam nõ reſeruat rõne ſue ꝯditionis materialis.ſed rõne virtutis cognoſcentis que eſt in viſu.

Ar. Sȝm phm in ſecundo de anima intelligim⁹ qñ volumus.nõ aũt ſentimus qñ volumus.⁊ non videť eẽ alia cauſa niſi q2 ſpẽs ſenſibiles nõ manent in abſentia ſenſibiliũ.ſicut tñ manent ſpẽs intelligibiles in abſentia intelligibiliũ ¶ Dõm ꝙ hoc nõ eſt ꝑpter nõ exiſtentiam ſpẽrum ſenſibiliũ.ſed propter imperfectiõem.debilitatem.⁊ facilem corruptõem.

¶ Q aũt ſenſitiua cito ⁊ modicas differẽtias ſentiunt ſignum eſt ꝙ in ſpeculis accidit de quo eodem inſiſtẽs vtiqȝ ꝯſiderabit quis.⁊ dubitabit ſimul aũt ex ipſo manifeſtum.qm̃ quẽadmodũ viſus patitur.ſic ⁊ facit aliquid.i ſpeculis em̃ valde puris cum menſtruis ſuꝑueniẽtibꝫ mulieres inſpiciunt in ſpeculo fit ſuꝑficies ſpeculi ſicut nubes ſanguinea.⁊ ſiq̇dem nouũ ſit ſpeculum nõ facile eſt abſtergere hmõi maculam.ſi vero vetus facile Cauſa vero vt dicimus qm̃ non ſolum viſus patitur aliquid ab aere.ſed et facit aliq̇d ⁊ mouet queãdmodũ ſplẽdida. Nam viſus ſplẽdidorum ⁊ habẽtium colorem.oculi quidem igiť rõnabiliter cum fuerint mẽſtruo afficiũtur.ſicut et alia pars quelibet corporis. Etem̃ natura exiſtẽs pleni venarum.ideo em̃ fiũt menſtrua propter turbatõem et flegmaſiam ſanguineam nobis q̇deȝ que in oculis differẽtia incerta eſt.ineſt aũt. Nam eadem natura ſeminis ⁊ mẽſtruorum:aer quoqȝ moueť ab ipſis ⁊ eum qui in ſpeculis eſt aerem ꝯtinuũ exiſtẽtem qualem quẽdam facit ⁊ talem velut ipſe patitur.hic vero ſpeculi ſuꝑficiem

Queãdmodũ em̃ veſtium que maxime mũde ſunt citiſſime inquinãtur. Nam puruȝ diligenter monſtra quicq̇d exceperit ⁊ ꝑſertim minimos mot⁹.es vero eo ꝙ planũ ſit qualẽcũqȝ tactum maxime ſentit.oportet vero intelligere tanq̃ȝ attractõem eſſe aeris tactum ⁊ tanq̃ȝ exterſionem ⁊ ablutiõem propter mũdiciam vere manifeſta fit qualiſcũqȝ ſit:nõ excũdi vero celeriter ex nouis ſpeculis cã eſt ꝙ purũ ſit ⁊ planũ ſerpit em̃ ꝑ huiuſmodi in profundum ⁊ oĩno magis in talibꝫ. Nam eo quidem qḋ puruȝ eſt in profundum.eo aũt qḋ planũ oĩno in veteribꝫ vero nõ immanet.qm̃ nõ ſimiliť ſubit maculã.ſed ſuꝑficietenus magis. Quoniaȝ quidem igitur ⁊ a paruis differentijs fit motus.⁊ quoniam celeres ſunt ſenſus ⁊ qḋ non ſoluȝ patitur ſed ⁊ cõtra facit colorum ſenſitiuũ manifeſtum ex his atteſtantur autem his que dicta ſunt ⁊ que circa vina ⁊ que circa pigmẽta eueniũt nãqȝ qḋ p̄paratuȝ eſt oleum cito accipit ꝓximorum odores ⁊ vina hoc ipſum patiuntur nõ ſolum em̃ eoruȝ que immittũtur vel ꝯmiſcẽtur.ſed eorum que prope vaſa ponuntur vel naſcũtur recipiũt odores:ad eam vero que ex p̃ncipio eſt cõſideratõem ponatur vnũ quideȝ qḋ ex his que dicta ſunt patȝ ꝙ recedente ſenſibili extrinſecus manẽt ſimulacbra q̃ ſenſibilia ſunt

¶ Hic ꝯſequenter ſecũdo oſtendit ꝙ nõ ſolũ ſenſibilia exteriora agũt in ipſos ſenſus.ſed etiã ſenſus agũt in corpora exteriora. Et hoc ꝑmo declarat in ſimili per quoddã apparens in ſpeculo Dicens ꝙ iſtud qḋ accidit in ſpeculis eſt ſignũ ꝙ ipſa ſenſitiua cito ad modicas differentias ſenſibiliũ percipiũt.q2 ſic ſe videnť ſenſus habere ad ſenſibilia ſicut ad ſpeculum corpora obiecta.ſed ſpeculum cito ad modicas differentias corporis ſibi obiecti recipit.ĝ ⁊ ſenſus ipſi ⁊ ex eiſdem ſpeculis manifeſtũ erit ꝙ etiaȝ ſenſus agãt in corpora.ſicut manifeſte patȝ de oculis mulierum quãdo inſpiciũt ſpeculum fluentibꝫ menſtruis.quia tunc ſuꝑficies ſpeculi fit ſicut nubes ſanguinea que de facili non abſtergitur ſi ſpeculum fuerit nouũ. ¶ Tunc ibi (Cauſa vero) Reddit cauſam huius apparitiõis.ꝑmo ex parte oculorũ. Dicens ꝙ viſus non ſolum patitur aliquid ab aere.ſed etiam facit aliquod ⁊ mouet ſicut alia ſplendida faciũt que agũt in corpora ꝓpinqua.⁊ faciũt ea fulgere.quia viſus eſt ſplendidus.et de numero habentium colorem ⁊ lumen. Sed quare oculi mulierum habent illam actionem quando fluit menſtruũ ideo eſt.quia in ipſis oculis ſunt multe vene ⁊ ſunt oculi valde poroſi.quare etiã magna portio ipſius ſanguinis fluit verſus oculos.⁊ ꝑpter turbatõem ſanguinis mẽſtrui aer ꝓpinquus ipſis oculis mouetur ⁊ alteratur.⁊ tũc ille aer ſic alterat⁹ et pollutus a ſanguine menſtruo etiam alterat ⁊ inficit ſuperficiem ſpeculi. Et interponit in littera ꝙ differẽtia ſanguis menſtrui ad ſanguinem exiſtentem in alijs partibus

eſt nobis incerta. certum eſt tamē ꝙ ille ſanguis menſtrual ſit in oculis. quia eſt eadem natura ſeminis ꝛ ſpermatis in viris. ꝛ menſtruoꝝ in mulieribꝰ. qꝛ in emiſſione vtriuſqꝫ oculi ꝯpatiūtur ¶ Tūc ibi (Queadmodū enī). Reddit cauſam pdicti apparētis ex parte paſſi. ſcꝫ ſpeculi. quare ſcꝫ ſpeculū mūdū cito inqͥnat ꝛ polluit. ꝛ dꝫ ꝙ ſilr ē d veſtibꝰ mūdis. qꝛ ſicut veſtes mūde cito inqͥnātur. ꝛ puꝝ qc quid recipit diligenter monſtrat. ſic etiam ſpeculuꝫ nouū et mūdum ꝛ valde planū cito recipit etiam minimos motus. ſicut etiam es maxime planū qualēcunqꝫ tactum cito percipit. ſicut patꝫ in gladio nouo. qꝛ ſi a digito tangatur ſtatim in ipſo apparet pollutio. ſed tactum aeris ad ipſuꝫ ſpeculum opoꝛꝫ intelligere tanqꝫ attractōem ꝛ tanqꝫ ablutōem aeris ad ſpeculū que ꝓpter mūdiciā ſpeculi ſtatim eſt manifeſta. Cauſa autem quare hmōi macula nō cito recedit. eſt nouitas ſpeculi. ex quo enī ſpeculum eſt nouuꝫ macula ſerpit in profundum. ꝛ quia eſt planū tūc etiā magis ſerpit per totam ſuperficiem. ſic autem nō eſt de ſpeculis veteribꝰ ¶ Tūc ibi (Quoniam quidem) Epilogat dicens ꝙ manifeſtum eſt ex his ꝙ a paruis differētijs ſenſibilium fit motus i ſenſibꝰ. ꝛ ꝙ ſenſus ſunt celeres in perceptione ſenſibilium. ꝛ ſenſitiuū coloris. ſcꝫ viſus non ſolū patitur ab exterioribꝰ corporibꝰ. Sed etiam ꝯtra facit aliquid ſicut iam dictum eſt. Et illis que dicta ſunt atteſtātur ea que accidūt circa vina ꝛ pigmata. qꝛ oleum depuratum ꝛ emūdatum. id eſt depuratum a fece cito accipit odores corporū ſibi proximoꝝ. ꝛ hoc idem accidit circa vina que nō ſolum recipiūt odores coꝝ que ipſis immittuntur ꝛ cum eis miſcentur. ſed etiam eoꝝ que ponūtur ꝓpe vaſa vinorum. ꝛ que naſcūtur prope vina. Ex omībꝰ his recolligit cōcluſionem pus manifeſtatam Dicens ꝙ ad iſtam ꝯſideratōem que eſt ex pncipio. ſcꝫ ad declaranduꝫ qd ſit ſomniū ponatur ſiue ſupponatur vnū qd nūc eſt manifeſtū. ſcꝫ ꝙ recedēte ſenſibili intrinſecus adhuc remanēt ſimulachra ipſoꝝ ſenſibilium.

Ar. Sꝫm phm ſeptimo phyſicoꝝ mouens ꝛ motū ſunt ſimul. ꝛ nihil ipſorum eſt medium. ſed oculus mulieris menſtruoſe ꝛ ſpeculum nō ſunt ſimul. ergo

¶ Dōm ꝙ mouens ꝛ motum immediate ꝛ proxime ſunt ſimul. ſic etiam eſt in ꝓpoſito. qꝛ oculus imediate inficit aerem ſibi immediate ꝯiūctum. qui infectus inficit alium aerem. ꝛ ſic ꝯſequēter vſqꝫ ad ſpeculum

Ar. Si oculus mulieris menſtruoſe inficeret ſpeculum. vel hoc faceret inqꝫtum videns vel inqꝫtū vaporans. ſed nullum illoꝝ eſt dicendū. ergo. Nō inqꝫtū videns. qꝛ aēr in multum remota diſtantia inficeretur ipſum. Nec inqꝫtum vaporans. quia etiam alie partes corporis vaporant ſicut oculus. puta aures quas exit ſanguis menſtruꝰ vaporabiliter ¶ Dōm ꝙ hoc facit oculus mulieris inqꝫtum vaporans. ꝛ hoc magis ꝯuenit oculis qꝫ alijs partibꝰ. quia oculi ſunt magis pleni venis ꝛ ſīꝫ magis poroſi. ꝛ ſic maior fit euaporatio per oculos qꝫ per alias partes corporis

¶ Adhuc autēꝫ ꝙ facile decipimur circa ſenſus. cum in paſſionibꝰ exiſtimus. alij autem in alijs veluti trepidus ꝛ in timore. ꝛ qui amat in amore. ita vt videatꝛ a modica ſimilitudine. hic quidem hoſtes videre. ille vero dilectuꝫ. ꝛ hoc vtiqꝫ quāto paſſibilior quis fuerit tanto a minore ſimilitudine videtur. Eodem vero modo et in ira ꝛ in omībꝰ cōcupiſcētijs facile decipimur omēs. Et magis quātocūqꝫ in paſſionibꝰ magis fuerit. ideo ꝛ febricitantibꝰ interdū animalia videntur in parietibꝰ a modica ſimilitudine linearum compoſitarum: Et hi quideꝫ aliquando decertant in paſſionibꝰ. ſicut ſi vehementer nō laborant non lateat quoniam falſum. Et ſi maior ſit paſſio ꝛ mouetꝛ ab ipſo. cauſa vero vt hec accidēt hec eſt. quia vero ſꝫm eādem potentiam iudicat quod principale eſt. et quo phantaſmata fiunt. huius vero ſignum ē. quia videtur ſol pedalis. contradicit autem aliud aliquid ſepe ad phantaſiam ꝛ permutatiōeꝫ digitorum vnum duo videntur. attamen nō dicimus quoniam duo. dignior enī tactu viſus. ſi vero eſſet tactus ſolus iudicaremus vnum duo. mentiendi autem cauſa. quoniam nō ſolū cum ſenſibile mouet apparent quelibet. ſed etiam cum ſenſus ipſe moueatur ſi eodem modo mouetur. quēadmodum ꝛ a ſenſibili. dico autem velut terra videtur nauigantibꝰ moueri dū mouetur viſus ab alio

¶ Hic conſequenter phus manifeſtat ſecūdū qd valet ad ſuū ꝓpoſitum. oſtendendo ſcꝫ ꝙ ipſi ſenſus faciliter decipiūtur circa ipſa ſenſibilia. ꝛ hoc pmo declarat per exēpla. Dicens. ꝙ adhuc ante intentiōem principalem oportet ſupponere ꝙ ſenſus faciliter decipiūtur circa ſenſibilia quādo ſunt in paſſionibꝰ. qꝛ diuerſi exiſtentes in diuerſis paſſionibꝰ ſcꝫ timoris vel amoris ita decipiūtur ꝙ modica ſimilitudine hoſtis vel dilecti eſtimant ſe videre hoſteꝫ vel dilectum. ꝛ quāto aliquis eſt paſſibilior. id eſt in maiori paſſione. tāto in minori ſimilitudine videtur ſibi ꝙ videat illud circa qd paſſionatur. et ſicut eſt in iſtis ita eſt in ira ꝛ in omnibꝰ ꝯcupiſcētijs. ꝛ non ſolum in omnibꝰ paſſionibꝰ anime. ſed etiam ita eſt in paſſionibꝰ corporis. ꝛ ideo ipſis febricitantibꝰ interdū videntur animalia eſſe depicta in pariete ad modicam ſimilitudinem linearū compoſitarum. ¶ Tūc ibi (Et hi quidem) Oſtendit ꝙ huiuſmodi deceptio ſenſus circa ſenſibilia aliquādo latet ꝛ aliqn̄ non latet Dicens ꝙ illi qui ſunt in paſſionibꝰ aliquando decertant apud ſeipſos ita ꝙ ſi non laborant vehementer nec ſint in magna paſſione. tūc non latet ipſos ꝙ illud qd eis apparet eſt falſum. ſed ſi paſſio fuerit valde magna tunc latet ipſos. quia tunc mouentur ab ipſa paſſione Ratio pmi eſt. qꝛ in illis virtus ſuperior iudicat contrarium eius quod iudicat virtus inferior. que propter paſſionem decipitur. ad quam virtutem ſuperiorē ꝑtinet iudicare ſubſtantiam ꝛ id quod eſt principale. Et hoc declarat ꝑ duo exempla. Primum. quia viſus dicit ꝙ ſol ſit pedalis. ſed virtus ſuperior dicit ꝙ ſit ꝯtrariū qꝛ ex digniori apparentia fit qꝫ viſus. Secūdum exemplū. quia tactus per mutationem digitorum dicit vnum eſſe duo. ſed ꝑ viſum nō dicimus ꝙ ſint duo. quia viſus eſt dignior ipſo tactu. ſed ſi ſolus tactus iudicaret de ſenſibilibꝰ ꝯmunibꝰ. tunc ſimpli

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

citer ⁊ abſolute dicemus vnuꝫ eſſe duo. Ratio ſecūdi. quare ſcꝫ deceptio circa ſenſibilia aliquando latet in qua contingit mendacium eſt. quia non ſoluꝫ quādo ſenſibile mouetur apparet videri quelibet ⁊ ipſum ſenſum decipi. ſed etiam decipitur cum ipſe ſenſus mouetur ſicut ſenſibile. ſicut nauigantibꝫ apparet ꝙ terra moueatur. quia ipſe viſus mouetur ab alio. ¶ Ex omībꝫ his poteſt accipi talis cauſa. quia quando omnes virtutes ſuperiores ⁊ inferiores ſunt ligati propter paſſionem. tūc latet deceptio. ſed quādo inferiores detinentur a paſſione ⁊ ſuperiores non tunc deceptio in eo latet

Ex his itaqꝫ manifeſtum quoniā non ſolum in vigilando motus a ſimulachris fiunt et que extrinſecus et que incorporee. ſunt ſed etiā quādo fit paſſio hec que vocatur ſomnus et magis tunc apparent ſub die enim repelluntur dū operantur ſenſus ⁊ intelligentia exterminantur quēadmodum iuxta magnum ignem minor ⁊ triſticie ⁊ delectationes parue ſecus magnas. duꝫ vero quieſcunt ſupernatant ⁊ parua ſimulachra. nocte vero propter vacationem particularium ſenſuum ⁊ impotētiam agendi. eo ꝙ ab exterioribꝫ ad id qđ intrinſecus eſt fiet caloris reflexio ad principium ſenſus referūtur ⁊ fiūt manifeſta ſedata turbatione.

¶ Hic conſequēter accedit ad declarandum ꝙ quid eſt ⁊ definitōem ipſius ſomnij. Et duo facit. quia primo phus manifeſtat particulas definitionis. Secūdo ex eis concludit definitionem. ibi. (Quꝫ autem vero dicimus.) Circa primū primo oſtendit ꝙ apparitio phantaſmatis ꝯtingit in dormiente Dicens ꝙ manifeſtum eſt ex his q̄ dicentur. ꝙ non ſolū in vigilia fiunt motus a ſimulachris et apparitionibꝫ phantaſmatum ſiue ſint in ſenſibꝫ exterioribꝫ ſiue interioribꝫ. ſꝫ etiā fit apparitio fantaſmatꝫ in ſomno. īmo magis fit i ſomno q̄ꝫ in vigilia. et qꝛ i vigilia i die ſunt maiores motus q̄ꝫ ſint motus phantaſmatum. ſcilꝫ motus ſenſibilis exterioris in ſenſum particularem. ⁊ vlterius in ſenſum ꝯmunem. ⁊ ſimiliter operatio intellectꝰ fortior eſt in vigilia q̄ꝫ operationes illorum phantaſmatū ſed motus maiores repellunt minores ab anima. vt dicitur in libro de ſenſu ⁊ ſenſato. et ergo motus phantaſmatum de die repellūtur ⁊ exterminantur dum operātur ſenſus ⁊ intelligentia. ſicut paruus ignis non apparet iuxta magnum. ⁊ parue delectationes ⁊ triſticie ſecus magnas non apparent. quia maius impedit perceptiōem minoris Sed quādo ipſi ſenſus quieſcūt. tūc ſupernatant parua ſimulachra ⁊ mouētur ex ipſa phantaſia ad ſenſum commune̅ ꝑ quandā ſubtilem euaporatiōem. ⁊ tūc manifeſte apparent ſicut accidit de nocte ꝓpter vacatōem ſenſuum particularium ⁊ ipſorum impotentiā agendi. que quideꝫ impotentia accidit eo ꝙ ſit reflexio caloris ab exterioribꝫ ad interiora

¶ Oportꝫ auteꝫ opinari tanquam modicas vertigines que in fluminibꝫ referūtur. ſic motū vniuſcuiuſqꝫ fieri continue ſepe quidem ſimiles. ſepe vere diſſolutas in alias figuras propter repulſionem. ideo ⁊ propter repulſioneꝫ. Ideo et poſt nutrimētum ⁊ omnino teneris exiſtentibus veluti pueris non fiunt ſomnia. Multus enī motus eſt propter eā que ex nutrimento eſt caliditatem. vt quēadmodum in humido ſi vehementer moueat quis quādoqꝫ nullum apparet idolum. Quādoqꝫ vero apparet quideꝫ diſtortum aut omnino vt appareat alterius modi q̄ꝫ ſit qđ ſi quieſcat pura ⁊ manifeſta idola ſic ⁊ in dormiendo phantaſmata ⁊ reliqui motus q̄ proueniūt a ſimulachris interdum quidem cuꝫ vehementior ſit qui dictus eſt motus exterminatur omnino. Interdum vero conturbate apparent viſiones ⁊ monſtruoſe ⁊ deteriora ſomnia. velut melancholicis ⁊ febricitantibus et vinolentis. Omnes enim huiuſmodi paſſiones cum ſpumoſe ſint multum faciūt motum ⁊ turbationem. Sedato auteꝫ ⁊ diſcreto ſanguine in habentibus ſanguinem cōſeruatur ſimulachrorum motus ab vnoquoqꝫ ſenſuū valida facit ſomnia ⁊ apparere ⁊ videre propterea q̄dem que a viſu deferūtur videre. propterea que ab auditu audire. ſimiliter autem ab alijs ſenſitiuis Ex enī eo ꝙ inde progredit motꝰ ad principium putatur videre et audire et ſentire

Hic cōſequenter declarat modum ſm̄ quē huiuſmodi apparitio ſimulachri ⁊ phantaſmatis fiat. Dicens ꝙ oportꝫ imaginari de motu phantaſmatum ad ſenſum cōmunem. ſicut fiūt vertigines ⁊ circulationes in fluminibus. quia ille quandoqꝫ redeunt ad locum vbi fuit lapis proiectus ſub eadem figura. aliquando vero non redeūt ſub eadem figura. ſed diſtorte. aliquando etiam non redeunt. Sic etiam eſt de motu phantaſmatum exiſtentiuꝫ in phantaſia ad ſenſum ꝯmunem. quia quandoqꝫ deferūtur ad ſenſum ꝯmunem ſub eadem figura quā habet in phātaſia. quādo ſcilꝫ non eſt multus motus euaporationis in corpore. ita ꝙ impediat motum phantaſmatis. Aliquando vero non deferuntur ſub eadem figura. ⁊ tūc fiunt ſomnia diſtorta. ſicut quando eſt multus motus euaporationis. Quādoqꝫ vero nullus penitus apparet motus phantaſmatis. ſicut quando nimis magna euaporatio eſt. Ex his patꝫ ſenſus littere. Tunc ibi (Ideo ⁊ poſt) Infert correlarium Dicens ꝙ poſt acceptionem nutrimēti ⁊ etiam pueris non fiunt ſomnia. qꝛ in talibus eſt multus motus euaporationis propter caliditatem que eſt in nutrimento que facit euaporare nutrimentum. Et hoc declarat iterum per ſimile de apparitione idoli alicuius in aqua et ponitur clare in littera. Et eodem modo eſt in ſomno. qꝛ quandoqꝫ ſunt praua ⁊ diſtorta ſomnia quando motꝰ euaporationuꝫ eſt magnus. ſicut accidit in melācholicis in quibus fumus eſt magnus propter nigram coleram q̄ eſt cauſa ſomniorum diſtortorum. febricitantibꝫ propter euaporationem factam ex materia febris. et ebrijs ꝓpter multum vinuꝫ receptū. quia in omnibꝫ p̄dictꝫ ſunt fumoſe euaporationes. quare magnam faciūt turbationem in

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corpore.ſed ſedato motu euaporationis ⁊ diſcreto ſanguine.ſicut quādo digeſtio eſt celebrata tūc fiūt valida ⁊ directa ſomnia a quolibet ſenſu.quia tūc phantaſmata deferūtur ad ſenſum ꝯmunem.que faciūt apparere. videre.⁊ audire ⁊c.ſm ꝙ illa phantaſmata ortum habuerūt a diuerſis ſenſibꝰ exteriorıbꝰ.qꝛ ſenſus ꝯmunis accipit motuꝫ illorum phantaſmatū ⁊ ipſoꝝ immutatōem ac ſi eſſent vere res.⁊ tūc credit ſe imutari a ſenſibili exteriori.

Quia autē viſus interdum moueri videtur qui non videtur vt dicimus.⁊ qꝛ tactus duos motus annūciat eo ꝙ vnū duo videatur. Omnino eñ qđ ab vnoquoqꝫ ſenſu dicit principiū niſi alius dignior cōtradicat.apparet quidem igitur ſemper.putatur autem nō ſemper qđ apparet. Si quid diiudicat nō detineatur vel etiam moueatur ꝓprio motu. Quemadmodū vero diximus ꝙ aliqui propter aliam paſſionē facile decipiūtur.ita deuenıētes propter ſomniū.⁊ quia mouentur ſenſitiua ⁊ alia accidentia circa ſenſum.quare modicam habens ſimilitudineꝫ videtur illud Cum eñ dormierint deſcendente plurimo ſanguine ad principium cō deſcendūt ⁊ mouent qui inſunt motus.hi qdē poteſtate.illi vero actu.ſic autē ſe habent vt in motu.hic quidē ſupernatat ex ipſo motus. Si vero hic corrumpitur ⁊ hic.adinuicem itaqꝫ ſe habent quēadmodū facti ramuli aſcendētes in aqua liquefacta ſale ita inſunt poteſtate Cedēte vero qđ ꝓhibeat agūt ⁊ ſoluto in exiguo reliquo ſanguine ſenſitiuis mouentibus habentes ſimilitudines.quemadmoduꝫ in nubibꝰ q̄ ſimiles dicūtur hominibꝰ ⁊ centauris cito permutata Horum autem vnūquodqꝫ eſt ſicut dictum eſt.reliqua eius qđ in actu ſimulachri

¶ Hic ꝯſequenter oſtendit ꝙ in hmōi apparitiōe ſimulachroꝝ aliquādo accidit deceptio. Dicens ꝙ ꝑus dictū eſt.aliquando aliquid videtur moueri viſu.id eſt ſm viſum.qđ tamen non mouetur.ſicut parꝫ de nauigantibꝰ. ſimiliter etiam tactus permutatiōe digitorum dicit vnuꝫ eſſe duo.et ſi non eſſet aliquis ſenſus ſuperior.tūc iudicaremus ſicut iſti ſenſus decepti dicunt. Et ſicut eſt in vigilādo.ita etiam eſt in dormiendo.qꝛ quandoqꝫ ſenſus ꝯmunis dicit id quod apprehendit ab vnoquoqꝫ ſenſu particulari.niſi ſenſus dignior ſibi ꝯtradicat. vel ipſe idem ſenſus per apparens nobilius. Et per tales motus apparet apparitio falſa.ſicut viſui moto ſemper apparet terra moueri.illud tamen qđ apparet non ſemper putatur nec creditur eſſe verum. Et hoc cōtingit quando illa virtus que diiudicat oppoſituꝫ eius qđ apparet ſenſui decepto nō detinetur per aliquam paſſionem. vel etiam ſi nō moueatur motu ꝓprio. ¶ Tunc ibi (Quemadmodū vero) Ponit cām eius qđ dictum eſt.ſcꝫ ꝙ in motu ⁊ apparitōe fantaſmatū aliqñ decipimur Dicens ꝙ ſicut exiſtētes in paſſione cito decipiūtur.vt dictum eſt.ita etiā qñqꝫ dormientes decipiūtur ꝓpter ſomnium ⁊ ꝓpter hoc ꝙ ipſa ſenſitiua mouentur ꝓpter motum euaporatōis ⁊ ꝓpter alia accidētia circa ſenſus. Et ergo ſenſui quādoqꝫ ꝓpter modicaꝫ ſimilitudinē apparet ꝙ videat illud a cuius ſimulachro mouetur.⁊ tūc vtitur ſenſus ꝯmunis ipſo phantaſmate ac ſi eſſet res vera. ¶ Tūc ibi (Cū eñ dormierint) Manifeſtat quare in ſomno ⁊ in apparitōe ſimulachroruꝫ ꝯtingit decipi per motum Dicens ꝙ quādo homo dormit tunc ad ꝑmū ſenſitiuū deſcendit plurimꝰ ſanguis.⁊ cū illo ſanguine deſcendūt ⁊ mouent iſti motus qui ſunt impreſſi ipſi ſanguini.imprimūtur eñ motus ſimulachroꝝ cum ipſo ſanguine.⁊ deſcendūt ad ꝑmū ſenſitiuū. Et illorū motuū aliqui actu immutāt ſenſum ꝯmunē. Alij vero habēt poteſtatem immutandi.ſicut etiā ꝯtingit in motu alterationis.ꝙ vna pars eſt in actu ⁊ alia in potētia.qꝛ in iſto motu ſimulachroꝝ aliquid ipſius motus ſupernatat ⁊ eſt in actu.alterꝫ vero eſt in potentia.et ſi iſte motus corrūpatur alter regeneratur. Et iſti motus ſimulachroꝝ habēt ſe ad ſenſum ꝯmunē.ſicut ramūculi aſcendentes in aqua liquefacta impoſito ſale.qꝛ tūc apparent quidā ramunculi albi aſcendentes.⁊ cum vnus corrumpitur alter regeneratur et ſic vnus eſt actu alter vero eſt in poteſtate. Quia ergo ſic fiunt ⁊ corrūpunt̄ iſti motꝰ accidit hominē falli in ſomnio circa illos motus.⁊ illi motus agūt in ſenſum ꝯmunē qñ recedit illud qđ prohibet apparere hmōi motus.ſicut ꝯtingit recedente motu euaporatiōis qui recedit digeſta euaporatōne.⁊ etiā ſoluto reliq̄ ſanguine in exiguo.ita ꝙ ſanguis deſcēdat a capite ad partes inferiores.qꝛ tūc motus habentes ſilitudines ſenſitiuis mouentibꝰ cito ꝑmutantur.ſicut etiā ꝯtingit in nubibꝰ que ſimiles dicūtur hominibꝰ ⁊ centauris ⁊ cito ꝑmutant̄.et ergo accidit error in apparitōe que eſt in ſomno.⁊ ſic decipimur in ſomnio propter motum

¶ Et abeūte vero eſt verū dicere qm̄ hoc q̄le choruſcus.ſed non eſt choruſcꝰ. Cū aūt ſentiebat nō dicebat choruſcū ꝙ ꝓpriū qđ ⁊ diiudicabat.ſed ꝑ hoc illum choruſcū verum. Qđ ita qꝫ ſentiendo đt eſſe hoc ſi nō omnino detineat̄ a ſanguine.quēadmodū ſentiens ſꝫ mouet̄ a motibꝰ qui ſunt in ſenſitiuis.⁊ videtur quidē ſimile ipſum eſſe qđ verum eſt.⁊ tanta ſomni potētia ꝙ facit hoc latere. Quēadmodū igitur ſi quē lateat ſuppoſitus digitus oculo nō ſolum apparebit ſed ⁊ putabit̄ eſſe duo qđ eſt vnum. Si vero nō lateat apparebit quidē. nō putabitur aūt ſic ⁊ in ſomnijs ſi ſentiat q̄dē qm̄ dormit.⁊ paſſionem in qua eſt ſenſus dormitōnis apparet quidē. Dicit autē qñ videtur quidē in ipſo vt choruſcus.nō eſt autē choruſcus. Sepe eñ dormiendo đt aliq̄d in aīa.qm̄ ſomniuꝫ eſt qđ apparet.ſi vero lateat quoniā dormit nihil ꝯtradicit phantaſie.

¶ Hic conſequenter declarat quomodo ꝯtingit nos decipi in apparitione ſimulachroꝝ ex parte ſomni.dicens ꝙ ſi q̄s ſentiat choruſcū ipſo abſente.tūc verū ē dicere ꝙ illud quod remanet in ſenſu.ſcꝫ ſpecies ſenſibilis eſt aliq̄d tale quale eſt Choruſcus.qꝛ eſt eius ſimilitudo.ſed non eſt choruſcus ſm veritatem.nec ſentiens iudicat illud ꝑ

In appar̄oē fantaſmatū accidit decepcio

S̄a ꝯclōis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prium id eſt ſpeciem choruſci eſſe choruſcum. Sed iudicat per illam ſpeciem ver choruſcuз Si vero aliquis ſentiendo dicat illam ſpeciem eſſe Choruſcum ⁊ nõ detineatur a ſanguine ſicut accidit in freneticis .ſed moueatur talis a motibus qui ſunt in ſenſitiuis et a ſpeciebus ſimulacrorũ tunc illi apparet hoc qđ eſt ſimile vere rei ac ſi eſſz vera res propter aliquam paſſionem ſomni que habet talem poteſtatem ꝙ facit hoc latere. Tunc ibi(Quemadmodũ igiť) Oſtendit ꝙ hmõi deceptio aliquãdo latet et aliquãdo nõ latet. qđ declarat ꝑ ſimile. qꝛ ſi digitꝰ ſupponatur oculo tunc vnũ apparebit eſſe duo. ſi ḡ lateat aliquem ꝙ digitus ſit ſuppoſitus oculo tunc non ſolum apparet ꝙ vnũ ſit duo ſed etiam ſibi videbitur. qꝛ tunc cã deceptiõis latet ipm. Si vero nõ lateat tũc apparebit tñ ⁊ nõ putabiť qꝛ cã deceptiõis eſt manifeſta Sic etiã eſt in propoſito de ſomnijs. qꝛ ſi quis ſentiat et percipiat ꝙ dormit ⁊ etiã ſentiat paſſionẽ ſcз ſomniũ in q̃ ẽ ſenſus dormitõis tũc apparet illi ꝙ videat choruſcũ vel ꝙ aliq̃d ſit in ipo vt choruſcꝰ. ſз nõ dicit ꝙ ſit choruſcꝰ Et h̄ eſt poſſibile qꝛ ſepe dormiendo accidit ꝙ aliquod qđ eſt in anima dicit illud qđ apparet eſſe ſomniũ. ſi vero lateat aliquẽ ꝙ dormiat tunc nihil cõtradicit phantaſie ſed decipitur in motu talium phantaſmatuз. et ita accipit ſimilitudines vt veras res.

Quaũt vera dicimus et ꝙ ſunt motus phantaſtici in ſenſitiuis manifeſtũ ſi quis attendens temptet memorare q̃ patimur dormientes quidem ⁊ expgefacti. Interdũ eñ q̃ apparent idola dormiendi aſpiciat expergefactus eſſe motꝰ in ſenſitiuis. quibuſdã eñ iuniorũ ⁊ oĩno pſpicientibus et ſi ſint tenebre idola apparent plura q̃ ita mouentur vt velentur frequẽter timẽtes Ex his itaqз vniuerſis oportet ſyllogiſare q̃d eſt ſomniũ phãtaſma q̃dẽ aliq̃d et ĩ ſomno.

Hic conſequenter phus cõcludit ex dictis definitionem ſomnij Et primo premittit duo neceſſaria que valent ſibi ad ſuũ propoſitum. Secũdo concludit definitionem. ibi(Ex his itaqз) Primum qđ premittit eſt ꝙ motus phantaſtici ⁊ ſpecies ſenſibilium manent in ſenſitiuis. Et hoc eſt manifeſtũ verũ. quia ſi quis temptet memorari illa que patiuntur dormientes ⁊ expgefacti tunc manifeſte apparebit ꝙ illa idola que vidẽtur dormientibꝫ etiam apparent eis ſi euigilentur ac ſi eſſent in ipis ſenſitiuis. Sicut(exẽpli gratia)languido dormienti aliquãdo apparet ꝙ audiat latratũ canis ⁊ ſi expgefiat apparebit ſibi ꝙ in veritate iſti motus ſenſitiui inſonent in ſenſitiuis Secũdum qđ p̄mittit eſt ꝙ quibuſdaз q̃ ſunt de nũero iuniorũ qꝛ ipſis pueris etiã vigilantibus et pſpicientibꝫ ſi ſint tenebre apparent plura idola ꝑ que pueri ita mouentur et terrentur ꝙ aliquando velant ſe ⁊ cooperiũt ſua capita ⁊ nulla illarum apparitionuз phantaſticarum eſt ſomniũ Tunc ibi(Ex his itaqз) Cõcludit definitionẽ ſomnij Dicens ꝙ ex his vniuerſis q̃ dicta ſunt oportet ſyllogiſare ꝙ ſomniũ eſt phãtaſma aliq̃d et in ſomno. id ẽ apparitio phantaſtica in ſimpl'r dormiẽte

¶Nam que modo dicta ſunt idola non ſunt ſomnia neqз ſi quid aliud ſenſibus ſolutis videtur neqз q̃đ in ſomno phantaſma oĩe. Nam primum quidem aliquibꝫ accidit et ſentire aliquo modo et ſonos et lumen et ſaporem ⁊ tactum languide q̃deз veluti et delonge Jam eñ in dormiendo reſpiciẽtes et mox excitati qđ debiliter videbãt lumẽ lucerne dormientes vt arbitrabantur expergefacti ſtatim cognouerunt ꝙ lucerne erant et gallorum. et canum debiliter audientes vocem expergefacti cognouerũt manifeſte. quidã vero reſpõdent interrogati cõtingit eñ et vigilare et dormire ſimpliciter altero exiſtente et alterum aliquo modo ineſſe quorum nullum ſomnium dicendum. Sed neqз quecunqз in ſomno quidem fiunt vere intelligentie preter phãtaſmata ſed phantaſma qđ eſt a motu ſimulacrorũ cum in dormiendo fit et in eo qđ dormit. hoc eſt ſomniũ.

Hic cõſequenter declarat definitionẽ predictam per hoc ꝙ remouet quedã a definitione Et ſunt duo q̃ꝝ primum eſt ꝙ idola que apparent pueris vigilantibus non ſunt ſomnia neqз aliquid aliud q̃d apparet ſolutꝭ ſenſibꝫ neqз etiaз oĩe phantaſma q̃d apparet in ſomno eſt ſomnium ſicut ẽ phantaſma q̃d apparet lãguide dormiẽtibꝫ quia languide dormientibus in principio cõiter accidit ſentire aliquo modo ſcз debiliter ⁊ quaſi delonge ſonos lumen ſaporẽ et tangibile. qꝛ ſenſus in iſtis nõ ſunt vſquequaqз ſoluti. et ergo iſta apparitio nõ eſt ſomnium. quia tales expgefacti ꝯgnoſcũt manifeſte ꝙ fuerũt talia ĩ veritate que cognouerũt. ⁊ ſic tales apparitiones are ab extra cauſantur ſed ſic non eſt de ſomnio Similiter etiã cõtingit ꝙ aliq̃ reſpondent interroganti ⁊ hoc eſt quia cõtingit aliquem dormire et vigilare alterũ tamen inexiſtit quodãmodo ⁊ alterũ ſimpliciter. Et nullum iſtoruз eſt dicẽdum ſomniũ Tũc ibi(Sз neqз) Excludit ſcdm a definitõne ſomnij Dicens ꝙ vere intelligentie q̃ fiunt in ſomno preter phantaſmata non ſunt ſomnia. qꝛ ſicut in vigilia ex ſenſatis et imaginatis ꝯtingit deuenire in cognitõem vniuerſaliũ ex quibꝫ fiunt vere intelligentie. ſic etiam hoc cõtingit ex apparentibꝫ idolis et ſpeciebus in ipſo ſomnio. Ex illis ꝯcludit iterũ definitõem ſomnij et aliq̃d ſupaddit Dicens ꝙ eſt phantaſma qđ eſt a motu ſimulacrorum cũ in dormiendo fit ⁊ in eo qđ dormit. id eſt inquãtum dormit vel ſm illã ꝑtem ſm quã dormit.

Jam vero quibuſdam accidit vt nulluз ſomnium viderint in vita Rarũ quidẽ huiuſmodi ẽ accidit tamẽ et his. quidam pſeuerant quibuſdam vero et multum ꝓuectis etate accidit cum primum nullũ ſomniũ viderint Cauſam autẽ quare nõ fiet ſimile aliq̃d oportet arbitrari qm̃ neqз ꝙ poſt cibum dormitauerunt neqз pueris fit ſomniũ. q̃buſcũqз eñ hoc mõ ꝯſiſtit natura ⁊ ita vt m̃lta aſcẽdat euaporatio ĩ ſupiorẽ locũ vł' iteꝝ deorſuз facit m̃ltitudinẽ motꝰ ꝯueniẽter